

Studia Cornificiana.

I. De codicum ratione. Codicum ratio Cornificianorum impedita et perdifficilis: quam cum enarrabis, imprimis oportet et breuiter disputare et dilucide, omissis, quoad fieri possit, quae minoris momenti sint, ne amplitudine disputationis codicum enumeratione permultorum iudicium confundatur aut turbetur potius quam expediatur. Genera autem librorum qui continent rhetorica auctoris ad C. Herennium sunt duo: alterius generis sunt codices integri quidem, sed minoris notae et aetatis recentioris, quorum quasi princeps est Bambergensis b Kayseri saeculo XII scriptus, alterius codices mutilati et lacunosi, sed meliores et uetustiores, quos satis incommode in duas classes distribuit Kayser: quarum discrepantiam quam exscripsit idem editionis p. XVIII, glossis et interpretamentis in contextum inlapsis natam esse multi recte suspicati sunt, infra nouis subsidiis adlatis demonstrabo. Lacunosorum codicum optimi et antiquissimi sunt Parisini duo p et π, Herbipolitanus h, Bernensis 433 quem contulit I. Simon, tractauit idem in prooemio gymnasii Suinfordiensi anno 1863 edito¹, omnes saeculi IX uel X, capite deminuti omnes, scilicet de eodem exemplari deducti cuius folia duo prima interierant: nam incipiunt inde a uerbis I 6, 9 *tria sunt tempora*. Recentioris aevi sunt Erfordiensis e² Cauchianus k Emmerani μ et n Bambergensis a Frisingensis f, saeculi XI plerique uel recentiores, item lacunosi, sed qui principio non careant: deducti sunt de exemplaribus quibusdam saeculi Karolingii, quae eadem praestantia fuere atque hπ et principio item caruere: quod ex codice integro codicis b simili sine dubio petatum est, sicut factum esse scripturae discrepantia uidemus Simone testante in codicibus p Parisino³ et Bernensi,

¹ Conf. Kroehnert de rhetoricis ad Herennium Regimontii 1873 p. 2. Neque Simonis illam neque de Destinonii dissertationes Kilienses adhibere licuit ad hanc disputationem scribendam.

² Qui descriptus est de codice quodam lacunoso optima notae sed passim sicut p correcto et suppleto ad exemplar quoddam classis III.

³ Conf. Orellius Ciceronis uol. I. p. V Langenius phil. uol. XXXVI p. 483.

ubi uerba inde a principio ad I 6, 9 (7, 11 in Bernensi) manu saeculi XII exstant exarata, reliqua sunt saeculi X. Lacunas denique quae exstant in codicibus optimis (I et II classis Kayseri) supplebimus ex codicibus integris (III classis Kayseri), hoc est ex b eiusque similibus nihil deterriti Halmii praeceptis in Mus. Rhen. XV 536 disserentis illa supplementa esse nihil aliud quam nugas monachi cuiusdam uel librarii, utique βλίτυρι καὶ σκινδαυόν. Quas lacunas non chartae detrimento sed calami errore oculis librarii propter similitudinem uerborum aut syllabarum male aberrantibus natas esse multi recte demonstrauerunt¹. Codex archetypus omnium multis glossis et scholiis obrutus erat, quae modo una cum uerbis auctoris descripta, modo non descripta, modo genuinis neglectis recepta uarietatem scripturae effecerunt. Aliter enim neque scripturae discrepantia quam nonnullis locis uidemus inter codices ordinis prioris eisdem omnes lacunis deformatos et ab eodem archetypo deductos intercedere explicari neque intellegi potest — id quod est grauissimum — cur in nonnullis tantum codicibus lacunosus eadem scriptura atque in integris reperiatur. Uno exemplo proposito rem demonstrabo: III 24, 40 habuit archetypus integer:

(V) *uel memoriis*
mnemonicis

(A) codex capite deminutus lacunosus codices integri
uel memoriis
nemonicis

codex (a) nemonicis codex (a) memoriis
nemonicis hππ, *memoriis* μκεαfn Bernensis Corbeiensis *memoriis* b

Quod alio modo explicare commode atque feci uix poteris². Videlicet malunt librarii si datur optio ea describere quae intellegant quam quae non intellegant: quod factum esse hoc loco di-

¹ Leonardus Spengel Mus. Rhen. XVI p. 391.

² Codices hππ ex^m codice eodem classis I solos esse deductos multis locis apparet: ueluti IV 3, 4 reliqui omnes codices recte *aiunt*, sed h *adiunt* p¹ *adiciunt*, π *adiciunt*. Archetypus ille codicum hππ quem a littera significauit, gemellus erat archetypi (a¹) reliquorum codicum lacunosorum. E libro integro quodam (classis III) ualem librarii codicum puekanf in principio adiciendo adhibuerunt, lectiones illas quae in libris integris et in nonnullis tantum lacunosorum inueniuntur esse petitas ideo probabile non est, quod eaedem plane lectiones in codice Corbeiensi saeculi IX exstant, qui et principio careat neque ullo loco lacunas ex integro quodam codice expletas exhibeat.

lucide uidere licet in codicibus integris omnibus et in lacunosis praeter $\eta\pi\pi$, ubi lectio genuina seruata est. Codices autem $\mu\kappa\epsilon\alpha\phi\eta$ alios, prioris ordinis et lacunosos, sed principio non carentes item deductos esse de exemplaribus capite deminutis cum lacunarum similitudine euincitur, tum eo, quod exstat praeter Bernensem Simonis etiam nunc illorum exemplarium tanquam gemellum, principio carens, sicut h et π , loco proposito lectionem exhibens *memoriis*, codex Corbeiensis, eisdem lacunis, quibus optimi codices deformatus, de quo iam agetur.

II. De codice Corbeiensi. Adseruatur inter thesauros bybliothecae imperatoriae Petropolitanae codex membraneus, signatus nota *F. vel. 8 auctorum classicorum Latinorum*, saeculo IX Karolingiis litteris conscriptus, altus centimetra XXVIII, latus XXII, foliorum LXXXVII. Corbeiensis monasterii Karoli Magni temporibus quod inprimis florebat in Gallia litteris et bonis artibus codicem 528 fuisse in margine inferiore paginae primae scriptum est: deinde factus est Sangermanensis translatus Lutetiam Parisiorum, ubi abbas de Grandedieu ad umbilicum lingua Francogallica subscripsit quot folia liber contineat. Petropolin eum transuexit inter tumultus et incendia Gallorum sub finem saeculi antecedentis facta Petrus Dubrovsky cuius Musei fuerat, antequam cum aliis eiusdem monasterii cimeliis in pluteos bybliothecae imperatoriae concesserit: conf. A. de Muralt Bulletin de la classe historico-philologique de l'académie de St. Pétersbourg V 1848 p. 3. In foliis inde a primo ad XLVIII Cornificii rhetorica exarata sunt inde a uerbis T¹ria sunt tempora I 6, 9 ad *Vix haec dixerat cum ecce iste* IV 52, 65 deleta uetustiore scriptura, cuius uestigia passim cernuntur, porro in foliis XLIX usque ad LXIV Ciceronis rhetoricon inde a uerbis *demonstrandum erit defensori* II 8, 27 usque ad *quod sua ui nos alliciat ad sese* II 52, 157: tum in foliis LXV LXVI Cornificiani operis quae restant. Folii LXVII prima folii LXVIII altera pagina uacua: reliquae horum foliorum duae paginae continent definitiones, uelut: *Virtus est animi habitus in naturae modum rationi consentaneus Ars est quae significantiam sui plenam non habet Prudentia est e. q. s.*² Folia denique inde a LXIX ad LXXXIV praebent Ciceronis rhetoricon librum priorem usque ad uerba *qui elegantissimi atque artificio-*

¹ T littera omissa est: quam nimirum a fratre pingendi perito librarius delineatam et coloribus magnifice ornatam postea adici uoluit.

² Quae ex Marii Victorini commento in Ciceronis rhetoricos desumpta sunt: conf. Halmii Rh. L. p. 155, 28. 24.

sissimi putati sunt I 35, 61, tum folia quae restant libri secundi exitum inde a uerbis *non emolumento captans aliquo* II 52, 157, desiderantur uerba inde a § 170 *Huiusmodi necessitudines* ad 175 *in commoditatis uero ratione*. Itaque auctoris ad Herennium rhetorica praeter libri primi initium codex continet integra: Ciceronis opus iacturam fecit exitus libri prioris initii posterioris inde a I 35, 61 *Quare autem nobis* ad II 8, 27 *in falsa fuerit opinione*. Scriptus est Cornificius et Ciceronis liber prior ab eodem librario, qui XXVIII uersus in pagina unaquaque exarauit, quae restant a librario aetatis paulo recentioris, qui XXIX, in paenultimo et antepaenultimo folio uersus XXVII. In folii ultimi pagina altera legitur *Rhetorica tullii Nova et uetus*¹, in primae paginae margine inferiore *Liber S. Petri Corbeiensis Cicero ad Herennium 528*. De Ciceronis rhetoricis operae si pretium erit, alio loco agam: hic modo Cornificio ex libro Corbeiensi emendando operam dabo.

Est uero codex Corbeiensis familiae primae codicum, ex eodem archetypo deductus, unde codices omnium optimi Parisini p et π Herbipolitanus h Bernensis Simonis 433 descripti sunt, quippe qui eodem modo atque illi principio careat, incipiat I 6, 9 uerbis *T]ria sunt tempora*. Neque ulli primae secundaeue familiae codici aut bonitate aut uetustate cedit, emendationes uirorum doctorum nonnullis locis sua auctoritate confirmans et, quod grauius est, seruans nonnunquam uestigia ueri in scripturis mendosis, neque tamen ulli ita obnoxius codici, ut ab eo descriptus aut eius archetypum esse possit. Eisdem laborat lacunis quibus illi quos supra enumeravi codices, plerumque eadem praebet atque h, e, k, μ, a, rarius cum p et π consentit, nonnunquam uero uel cum codicibus integris III classis Kayseri, id est b Bambergensi. Itaque apparet codices μkeafn Corbeiensem Bernensem deductos esse — principio in omnibus praeter Corbeiensem de codice quodam integro petito — item de codice quodam capite deminuto, (a') cuius tanquam gemellus fuit archetypus codicum hπ (a): quod supra lectionis *mnemonicis* (III 24, 40) deprauationibus propositis demonstrari.

Functus est quidem librarius opere suo satis diligenter, sed ita stupide, ut etiam glossemata uel uocabulo modo adposito modo omisso in contextum supina neglegentia saepe numero reciperet²:

¹ Conf. Kayser edit. p. XXVI 12.

² ueluti IV 55, 68 Ille nulla uoce uel delauaris insitam uirtutem

plerumque uero ista interpretamenta ea sunt, quae ab aliis librariis pro genuinis descripta sint et secundae quam Kayser constituit familiae scripturae proprietatem effecerint: summi igitur momenti codex Corbeiensis ad uera a falsis dignoscenda. Caue putes duobus archetypis librarium usum esse: quod cum aliis tum haec de causa parum ueri simile est, quod ea quo iste monachus fecit ratione nemo duos archetypos ad transscribendum adhibet: ueluti I 12, 21 *Ille nihilominus sitellam detulit*. ubi *sitellam* he, ceteri *cistellam*, Corbeiensis uel *cistellam sitellam*, linea manu altera ducta uel et *sitellam* expuncta sunt. II 22, 34 *Omnium malorum stultitia est mater atque prae ceteris parit immensas cupiditates* ubi atque prae ceteris parit ekan, quae parit pariter $\mu\phi$; recte ut statuamus de hoc loco codicis Corbeiensis lectione efficitur, qui haec praebeat: *omnium malorum stultitia est mater uel quae parit pariter atque prae ceteris parit immensas cupiditates*, ubi uerba uel, atque parit erasa sunt, sed facile etiam nunc dignoscuntur. Illud quae parit pariter nil nisi interpretamentum ineptissimum esse iam quilibet uidere potest: codices $\eta\pi$ haec habent corrupta atque praeterisse pariter (uel apariter). IV 34, 46 *cuinam praesidio pecua credemus?* ubi quoniam $\eta\pi\phi$, quoniam $\epsilon\pi$ quoiam μ cuinam reliqui, Corbeiensis cui quoiam m. 1, m. 2 quo expunctum. I 6, 10 *cui loco primum respondeamus* ubi Corbeiensis cui quo, codices optimi quo, deteriores cui: utrobique scilicet quoi forma a Kaysero recte restituta est, illic n habet similiter uel quo uel cui, hic μ uel cui m. 2 additum. IV 38, 50 *fugitur inuidia* codices omnes praeter $\eta\pi\epsilon\kappa\mu$ et b, qui habent *fulcitur*: at lectio *fugitur* nullius pretii; nihil nisi coniecturam eam esse librarii cuiusdam facile intellegimus codicis Corbeiensis lectione considerata exhibentis uel *fugitur fulcitur inuidia*.

Correctus est liber Corbeiensis passim a librario ipso, qui opere ad finem perducto denuo ad exemplar archetypi eum recensuit scripturaeque uarietatem quam omiserat intulit, modo interpretamenta ex archetypo adscribendo, modo genuinam scripturam quam prae glossarum farragine neglexisset. Gratum fecit quod scribere tantummodo doctus coniecturis prudenter abstinuit. Librum modo descriptum abbas nescio quis siue scriba regius per-

concidit tacitus. Verba uel *delabaris* glossema sunt, quod librarius repudiata lectione *delauens* (ita $\eta\pi\epsilon\kappa\mu$) satis ridicule descripsit. IV 56, 69 et suauitatem habere uel loquendo in secundo poteris, ubi uel loquendo coniectura librarii uerbis scriptoris inserta est.

lustratus est, sane doctus ille quidem, qui hic illic notis Tironianis scholia adscripserit ex archetypo (a') petita, plurima in principio operis et amplissima, ad finem operis sensim minora et rariora. Notarum Tironianarum notitiam et usum cum uideamus in utroque Francorum imperio sub finem saeculi IX rarescere — conf. Wattenbach Anleitung zur lat. Palaeographie ⁴ p. 11 F. Kopp palaeographia critica I p. 412 — medio fere saeculo IX cum monasterium Corbeiense Angilberti doctissimi auspiciis floruit, codicem scriptum esse statuimus (Mabillon analectorum ueterum ² p. 425). Specimen scholiorum, quae eruditionem aevi Christiani sapiunt — nimirum memorantur Danielis Susannae Iosephi et uxoris eunuchi Pharaonis historiae — in parte tertia huius disputationis subiciam. Scholia uero ista ex commentario quodam archetypi (a') desumpta esse uel inde manifestum est, quod eiusdem commentarii frustula uage disiecta in aliis codicibus occurrunt, qui ex eodem archetypo (a') originem duxerint. Veluti I 11, 18 *noster doctor tres putauit esse* codices fere omnes manu prima: in nonnullis tertiae familiae adiectum est *hermes* propter istud *tres* quod subsequitur corruptum in *hermestres*, *hermestes*. Quod noli putare sicut quidam fecerunt esse nomen rhetoris cuiusdam qui scholiastae soli innotuerit doctissimo: uidelicet in archetypi commentario expositum erat Hermen illum Trismegistum siue facundum Atlantis nepotem paganos docuisse rhetoricam, λόγιος ille deus, 'quo didicit culte lingua docente loqui' (Quid. fast. V 668. Walz Rh. G. II 73. 91. III 725. VI 7). In codice Rhedigerano 3 (p³) recentissimo uir doctus quidam saeculi XV uel XVI adscripsit *marcus piso*, ille nimirum apud quem Cicero adulescens declamitare solebat (Sallust. in Cic. decl. 2 Ascon. in Pison. p. 15. Or. Brut. 310). Haec merae nugae. Porro Cauchius in codice suo satis bono (k) adiectum fuisse testatur hoc loco *uoltacilius plotius*, quod commentum uiri docti cuiusdam esse saeculo XV factum Kayser arbitratus est philologi uolumine XII p. 275. Non recte iudicauit. Nam in Corbeiensi idem exstat ab ea quae scholia adscripsit manu additum *uolcaedius plotus*. Id uero neque eruditionis eximiae neque Suetonii saeculo VIII lecti testimonium esse duco, sed Hieronymo deberi probabile est: etenim apud Suetonium de rhet. 3 rhetor ille nominatur Voltacilius *Pilutus*, apud Hieronymum Voltacilius *Plotus*, Cn. Pompeii libertus et *doctor* (Euseb. ed. A. Schoene II p. 133 ad annum 1936 Abr.)¹.

¹ Praeter Marium Victorinum et Hieronymum etiam Isidori ori-

III. De archetypo. Quaeritur igitur, qualem codicem archetypum ex eis qui adhuc superstites sunt libris manu scriptis recuperare possimus, quomodo codicum adhuc conlatorum lectionibus adiuti archetypi lectionem restituamus, cuiusnam denique saeculi archetypus ille, unde omnes deducti sint codices, putandus sit. Itaque auxilio librorum $h\pi\pi$ restituemus codicem lacunosum a, porro istius a quasi gemellum a' ex codicibus Corbeiensi Bernensi $\epsilon\mu\kappa\alpha\phi\eta$, ex duobus illis a et a' unum restituemus codicem aeu Merouingii uel Karolingii (A) qui capite deminutus et a librario satis inerti parum diligenter descriptus fuit. Oculis enim propter uerborum similitudinem saepenumero male aberrantibus multis lacunis scriptorem reddidit deformatum. Aeuo Merouingiorum uel Karolingiorum ineunti codicem ideo adtribui, quod nullae corruptelae litterarum inueniuntur eiusmodi, quibus adduci possimus ut litteris admodum diuersis istum archetypum exaratum fuisse con-

gines adhibuit scholiasta: nam ad 18, 13 haec partim notis partim litteris adscriptis: *Tragedi dicti quod in initio canentibus praemium erat hircus, quem Graeci tragus uocant. Iam dehinc sequentes tragici multum honorem adepti sunt excellentes in argumentis fabularum ad ueritatis imaginem figtis. Nam poetae regum historias et res publicas praedicant.* Quae leguntur apud Isid. or. VIII 7, 5. Cornificii doctorem tu si quaeres, illos rhetores percenseto qui et populares et Marii fautores fuerint: nam eiusmodi scholas in quibus talia qualia leguntur IV 55, 68 causa ficta in Nasicam homicidii reum declamabantur, certe nobilium filii non frequentabant neque, opinor, Aelius Stilo optimatum fautor acerrimus istius modi $\acute{\upsilon}\pi\theta\acute{\epsilon}\sigma\epsilon\iota\varsigma$ proponebat. At Cornificius purus putus Latinus — Graeci scriptoris nomen nusquam apud eum inuenias — nihil praecipit de exercitationibus Graeca lingua instituendis quas Cicero Stilonis discipulus in caelum fert nobilitatis sine dubio fauore inductus (Sueton. de rhet. 1. 2 Cic. Brut. 310). Nobilitas enim fastidiosa litterarum Latinarum per Crassum censorem Latinos rhetores, id est L. Plotii Iudum Romae sustulit a. u. c. 662 a. Ch. 92, cum edicto illo (Sueton. de rhet. 1) me iudice minime tenuem illum rhetorem peterent; sed fautorem et amicum C. Plotii, C. Marium (schol. Ambros. ad Cic. pro Archia 20). Vide ne eodem modo quo Metellus Numidicus et C. Marius graues inimicitias inter se exercebant, etiam rhetores illi Plotius Marianus et Stilo Numidici comes alter alteri infestissimi fuerint: nimirum ars Cornificii qui et Mario et Sulpicio et Gracchis faueat ex Plotii siue Plotiani cuiusdam schola profecta esse uidetur: at Cicero qui Stilonis acroaseis in schola exceptas in libris de inuentione edidit multum abhorrentes a Cornificii doctrina, etiam cum libros de oratore scriberet, Latinos rhetores grauiter insectatus est Plotio etiam tunc uiuo (Sueton. de rhet. 2 Cic. de or. III 92—96): Ciceronem mortuum Cestius rhetor Latinus: conf. Sueton. Reiffersch. p. 127.

ciamus. Multis scholiis et interpretamentis codex iste (A) conscriptus erat, unde longe plurima in Corbeensem, perpauca in Cauchianum codicem k et Monacensem μ transierunt: quorum pars petita esse potuit uel ex codice omnium archetypo (V). Atque in Corbeiensi ad II 26, 41 *Quadruplicator, ut breuiter describam capitalis est: est enim improbus et pestifer ciuis* in margine superiore folii 15, 2 haec m. 2 adscripta leguntur: *Quadruplicatores dicebantur qui eo se questu tuebantur ut eas res persequerentur quarum ea legibus quadrupli erat actio*, Pauli epitomae saeculi IX iam adhibitae et lectae testimonium egregium: eadem nimirum eisdem plane uerbis scripta apud Paulum Festi exstant p. 259, nisi quod *Muelleri*¹ codices *quadruplicatores et eo quaestu se*. Quae corrector ille codicis Corbeiensis, qui scholia addidit, utrum ipse e codice quodam Pauli petierit an in archetypo adscripta reppererit haud facile diiudicaueris: sed illud probabilius ideo, quod id scholion solum litteris conscriptum legitur, reliqua omnia aut notis aut litteris notisque in eadem sententia adhibitae. At IV 32, 43 *non tam cito sarisae Graeciae potiti sunt* codex Corbeiensis sicut omnes codices I familiae corrupte: *non tam cito uaris egraege* e. q. s.: tamen scholion adscriptum legitur satis ineptum: *argyraspidae uocati sunt scutati alexandri ab argenteis astis*. Quod necesse est ex archetypo petatum sit, ubi uir doctus quidam cum *sarisas* uocabulum explicaret, etiam argyraspidum Alexandri meminerit: sed Corbeiensis librarius hastas longas Macedonum cum clipeis argenteis satis ridicule in unum confudit. Iam operae pretium esse uidetur quaerere, cuius temporis fere archetypus V fuerit omnibus qui adhuc noti sunt codicibus communis, et lacunosus (I II) et integris (III): quod e codicum corruptelis et mendis etiamnunc arbitror posse quodam modo definiri. Multis locis mendosus archetypus ille fuit et uera scriptura saepissime glossis cooperta: uelut II 12, 17 mendose habuit *quae sunt ea quae capio* (ita soli h e Bernensis Corbeiensis) superscripto *capiunt: capiunt* codices reliqui omnes. Vera scriptura dudum restituta *q. caepio*, corruptelae eadem ratio quae apud Ciceronem de diu. II 54, 111, ubi *quae ennius fecit* traditum est pro *Q. Ennius fecit*. Exaratus fuit ille codex litteris quae hodie nominantur unciales, uerbis non inter se distinctis, ut C et G P et R litterae inter se confunderentur

¹ Christianus Huelsen meus certiore me fecit in omnibus Pauli codicibus scriptum esse *quadruplicatores et eo quaestu se*: non dubito quin illud codicis Corbeiensis scholion, quod nullus codex Pauli uetustate antecedit, ueram lectionem seruauerit.

a legentibus. Verum tamen id genus fuit scripturae, quae a palaeographiae peritis semiuncialis dicitur cursiuis quas uocant litteris nonnullis admixtis: nam alia ratione explicare nequeas quomodo S et U litterae inter se confundi potuerint nisi in archetypo s litteram (γ) V litterae simillimam fuisse dixeris. Pauca exempla proponam quo clarius rem dignoscas:

IV 37, 49 archetypus (V) *astutiore ratione*

| | | |
|---------------|--------------------------|----------------------------------|
| lacunosus (A) | <i>astuti operatione</i> | codices integri |
| | | |
| lacunosi: | <i>astuti operatione</i> | <i>astutiore ratione</i> III (b) |

IV 39, 51 archetypus (V) *antepedes*

| | | |
|---------------|---------------------|---------------------------|
| lacunosus (A) | <i>ante credes</i> | codices integri |
| | | |
| lacunosi: | <i>ante heredes</i> | <i>ante pedes</i> III (b) |

Manifestum est librarium codicis A ob P et R litterarum similitudinem errasse praesertim cum uerba singula inter se non essent distincta: eodem modo g et c¹, u et s litterae confunduntur: uelut IV 32, 43 utrumque factum esse manifestum est:

archetypus (V) *sarisae graeciae*

| | | |
|---------------|-----------------------|-------------------------------------|
| lacunosus (A) | <i>uaris egregiae</i> | codices integri |
| | | |
| lacunosi: | <i>uaris egregie</i> | <i>sarise greca</i> III familia (b) |

IV 54, 68 archetypus (V) *thasi*

| | | |
|---------------|--------------|------------------------------|
| lacunosus (A) | <i>thauī</i> | codices integri |
| | | |
| lacunosi | <i>thauī</i> | <i>thasi</i> III familia (b) |

Sexto igitur fere saeculo archetypum², unde omnes codices qui adhuc superstites sunt originem duxerunt, exaratum esse statuendum uidetur. Itaque scripturis traditis in codicibus ad rhe-

¹ IV 38, 50 *fugitur inuidia* ex librarii cuiusdam coniectura editores: in archetypo fuit *fulcitur inuidia*.

² Wattenbach l. l. p. 27. — Eis qui magis uersati in ueterum scripturis aptius illam s et u litterae confusionem explicabunt aliaue ratione archetypi scripturam et saeculum definient, libenter ego quidem cedam, rem ipsam recte obseruatam esse difficultatesque multis locis errore isto cognito expediri quilibet intellet. Veluti IV 22, 31 codices integri *de sinu*, lacunosi *diuinum* IV 2, 4 recte integri: *Haec illi cum dicunt magis nos auctoritate sua commouent quam ueritate disputationis*, lacunosi: *Haec illi cum dicunt magis noua auctoritate disputationis*. Si ea quae exposui memineris, corruptelam explicabis, lacunam, si ad homoeteleuton animum aduerteris: coniecturis abstinebis.

torem restituendum hoc pacto utemur: codicum familia I et II auxilio postquam diiudicauimus quae genuina quae interpretamenta medii aevi putanda sint codicem archetypum A saeculi Merovingii restituemus: quo facto cum ista quam nacti erimus lectione codicis illius lacunosi et scholiis operi comparabimus quae in codicibus integris III familiae traduntur, praecipue quae codex b exhibeat spectantes, unde archetypum saeculi fere VI uia ac ratione consequemur. Cuius opera quomodo singulis locis ea quae Cornificius re uera scripserit, indagare liceat, in capite ultimo huius disputationis demonstrabo.

IV. Priusquam e codice Corbeiensi locos nonnullos emendem, quaestionem quandam proferre iuuat dignissimam si quid uideo quae proferatur: etenim propositum sit indagare quonam tempore Cornificii rhetorica in canonem scriptorum rhetoricorum Ciceronis recepta sit. Post Quintiliani aetatem, qui exempla e Cornificii rhetoricis auctore non nominato in sua transtulit (Kayser edit. p. VI), nomina figurarum a Cornificio Latine uersa huic ipsi auctori tribuit, unde recte uiri docti collegerunt rhetorica ad Herennium ab illo Cornificio scripta esse, nullum illius libri tractati exstat uestigium apud scriptores antiquos: nam Iulii Rufiniani (p. 46, 17 H.) de licentiae figura quam Cornificius hoc nomine appellauerit testimonium e Quintiliano descriptum esse apparet. Primus artem ad Herennium Ciceroni uindicat Hieronymus anno fere CCCC post Christum in prooemio commentarii ad Abdiam prophetam, quem locum exhibet Kayser editionis p. XIII 1¹, deinde Rufinus litterator in Halmii rhetoribus p. 577, 29 584, 3, qui Cornificii opus recte *artem* rhetoricam ad Herennium uocat, postremo Priscianus grammaticus, qui opere Cornificiano in VI libros diuiso usus est: conf. Kayser edit. p. XII 3. Eadem uero distributio in VI libros a quodam grammatico saeculi IV exeuntis facta etiamnunc in nonnullis codicibus reperitur: ueluti in paf teste Orellio ad umbilicum operis Cornificiani scriptum est *M. Tullii Ciceronis ad herennium liber VI explicit*, porro IV 13, 19 *M. Tullii Ciceronis ad herennium lib. IV explicit; Incipit liber V feliciter. De uerborum exornatione*, tum IV 35, 47 liber VI incipit inde a uerbis *Distributio* e. q. s. Eandem diuisionem in

¹ Hieronymus ed. Vallarsii VI p. 362. Adde contra Rufinum II p. 471: *Lege ad Herennium Tullii libros, lege rhetoricos eius: aut quia illa sibi dicit inchoata et rudia excidisse de manibus, reuolue III uolumina de oratore* e. q. s.

Corbeiensi discernere licet: etenim utroque loco libri IV librarius spatio lineae interiecto eum quo nouus liber incipit uersum uncialibus quae dicuntur litteris exarauit, quod inter IV 35, 47 et IV 13, 19 nullo alio loco usu uenit, et priore loco idem illud legimus DE VERBORVM EXORNATIONE.

Habemus rhetorum commenta multa et uaria inde a I usque ad VIII saeculum post Christum scripta a Carolo Halmio uno uolumine comprehensa, adde grammaticorum ampla uolumina, in quibus auctoris ad Herennium adhibiti nullum uestigium reperitur nisi quod Priscianus et Rufinus illo usi sunt: in scriptis eorum qui post Hieronymum uixerunt Cornificii liber ideo non adhibetur, quia illi aetate superiores auctores expilabant uerbis tantum additis eorumque testimonia in sua transferebant. Statuendum est, quae fuit nominis Tulliani claritudo, cuius scripta ab imperatoribus multum lectitabantur, cuius uel carmina puerilia Gordianus imperator aemulabatur (Ael. Lampr. Alex. Seu. 30 Tul. Capitol. Gordian. 3), cuius imaginem Alexander Seuerus una cum Vergilii simulacro in larario habuit (Ael. Lampr. l. l. 31), statuendum est, dico, fieri non potuisse ut 'Ciceronis' rhetorica ad Herennium, quae non rudia et imperfecta sint ut illa de inuentione commenta, sed largam copiam exemplorum optimorum et definitionum scriptoribus illis de figuris praebere potuerint, plane neglegerentur, cum saepissime adhibiti fuerint rhetorici, de oratore libri, orator, etiam Brutus et Topica. Immo Marius Victorinus doctissimus ille quidem qui commentarios in topica in dialogos Ciceronis in rhetoricos scripserit si nosset 'Ciceronis' artem ad Herennium, dubito an Cornificianum opus explicare commentario maluisset: mirum sane esset Marium neque similitudinem neque discrepantiam duarum artium Ciceronis ullo modo memorauisse in commentariis suis, sed haec scripsisse (p. 156, 25 H.): *Et ut sciamus alium esse rhetorem, alium oratorem, hos libros artium rhetoricarum uocauit, ubi docet artem dicendi, illos alios tres de oratore nominauit, ubi illa quae habere debeat orator, ostendit.* Primus Hieronymus libros ad Herennium Ciceroni uindicat: neque uero Victorini fuit discipulus Hieronymus (conf. Zoeckler uitae Hieronymi p. 30) sed Aelii Donati: itaque sub finem saeculi IV paullo ante Hieronymi aetatem Cornificii opus quod post Quintilianum plane neglectum iaceret, denuo in grammaticorum et rhetorum cathedras prouenit et per grammaticum quendam inclutum, fortasse per doctorem Hieronymi Aelium Donatum Ciceronem inuenit auctorem. Corpori scriptorum rhetoricorum Ciceronis an-

tiquitus additum fuit opus Cornificii in codice Laudensi deperdito illo, qui continebat *rhetoricorum novos et ueteres, tres quoque de oratore integerrimos, Brutum — et Oratorem M. Tullii Ciceronis* (Cicero de or. ed. Henrichsen Haun. 1830 p. VII): talis codex inter eos qui adhuc conlati sunt, Cornificianos codices exstat nullus, cum soli p h k (?) Corbeiensis saeculi IX, porro b saeculi XII praeterea Monasteriensis Langenii saeculi XIII utriusque rhetorica contineant, quantum quidem e Kayseri et Weidneri copiis licet statuere, neque tamen libri de oratore aut Brutus Ciceronis in ullo eorum qui adhuc adhibiti sunt codicum inueniantur.

Quanam ratione denique indicem illum explicabimus¹, qui in codice Laudensi fuisse uidetur, qui in Corbeiensi nostro Emmerano 2 (n) aliis legitur: *Rhetorica Tullii noua et uetusa?* Utramque artem Hieronymus l. s. a Cicerone adolescente conscriptam esse significat his uerbis: *'dicit et Tullius tuus adolescentulo sibi inchoata quaedam et rudia excidisse: si hoc ille tam de libris ad Herennium, quam de rhetoricis, quos ego uel perfectissimos puto, ad comparationem senilis prudentiae dicere potuit, quanto magis ego libere profitebor et illud fuisse puerilis ingenii et hoc maturae senectutis?* Facile apparet, opinor, illo ipso tempore quo Ciceronis ad Herennium rhetorica denuo inuenta est, libros de inuentione, qui diu iam in scholis legebantur appellatos esse *rhetorica uetera*, Cornificii autem opus, quod tunc demum tractari coeptum sit, nomen ab inuenti nouitate inuenisse *rhetorica noua M. Tullii*, perinde ac si quis hoc tempore de nouis et de ueteribus fragmentis Hyperidis siue Alemanis loquatur.

V. Critica et hermeneutica. Codicis sua cuiusque praestantia, opinor, aptius demonstratur locis corruptis, si quae uestigia ueri melius seruata apparent, quam integris, ubi solus praeter ceteros genuinam scripturam seruauerit: si quidem ea quae unice uera uidentur dubitaris an librarii cuiusdam uel grammatici commenta potius sint quam antiquitus tradita. Itaque duos locos corruptissimos Cornificii emendabo, quibus in Corbeiensi uestigia uerae scripturae agnoscere licet, ne codicem istum diligentissime perscrutando opus plane inutile uidear suscepisse.

IV 50, 63 *at heus tu, inquit, ueni Sannio, ne quid isti barbari turbent.* Ita Kayser: reliqui editores Kayserum secuti sunt. Quis dubitet, quin haec uera sint? Verba optima, dilucida omnia.

¹ Diuersa de titulo illo protulit Bandinius catalogi manu scriptorum Latinorum bibliothecae Laurentianae uol. II p. 488.

Tamen auctor librorum ad Herennium aliter scripsit. Etenim libri ualde inter se discrepant, cum optimus primae familiae h, Bernensis, tertiae familiae praestantissimus b omittat *at heus*, $\pi\mu^2$ et tota secunda familia Kayseri praebeat illud *at heus tu*, ceteri *heus tu*. Miramur in codicibus π et e primae classis esse *adeo tu*: quod est scilicet lectio genuina quamuis corrupta, melius seruata in Corbeiensi, qui praebeat *atde ho tu*: quod emendes necesse est scribendo *At cho tu, inquit, ueni Sannio*. Codices e et π sese nihili facturum in noua editione comparanda professus est nuper uir doctus quidam: quonam iure, vel hoc exemplo proposito intellegi poterit. Apparet codices h et b optimos omittere ea quae librarii non intellexerint; glossam superscriptam *heus* non solum librarios familiae secundae in contextum recepissee, sicut adsolent, sed etiam codicum μ alteram manum et p primam. Interiectionis *cho tu* usum cuius passim apud Plautum Terentium alios exempla reperiuntur pluribus uerbis exponere non necessarium est. Verba quae secuntur *ne quid isti barbari turbent* in codicibus optimis miserum in modum corrupta: recte tradita exstare uidentur, si fides Kaysero non negatur, tantummodo in πk et b: solus Corbeiensis: *ne quid hi barbari turbent*; quod ideo non praeferimus, quia *hi* uidetur coniectura librarii esse, cum codices reliqui exhibeant *is, his, istos, barbaris, barbaros*: solus μ *is barbari*.

IV 34, 45 *nullius uniuorse calamitas istius explere inimicitias et nefariam crudelitatem saturare potuit*. Ita Kayser Scaligeri coniecturam secutus: *nullius maeror et calamitas* editor Teubnerianus e deterioribus codicibus, male uterque. Locus est coniecturis uexatissimus, inter quas uel Halmius quod proposuit *Non huius miserrima sors et calamitas* infelicissimum est commentum (Mus. Rhen. XV 569). Verba *nullius urbis maeror et calamitas* ita leguntur m. 2 addita in a codice lacunoso et in b integro: ergo interpretamentum archetypi fuere hoc loco manci et detriti. Codicum uero optimorum scripturae haec sunt: h π Bernensis *nullius unae fors e calamitas*, $k\mu^1$ *nullius une fors et calamitas*, p *nullius une forse calamitas*, e *nullius hunc fors et calamitas*: reliquorum librorum scripturae nihili sunt. Corbeiensis: *nullius unat fors et calamitas*. Quasi fundamentum emendationis clare discernitur in codicibus istud *fors*, inprimis aptum ad hunc locum significatione sua: quod tamen apud auctores ueteres Latinos fere non inuenitur nisi *fortuna* uocabulo adposito, cuius reliquias agnoscimus in illis litteris *una unae* similibus. Scripsit Cornificius: *Nullius [fort]una et fors et calamitas istius explere inimici-*

tias et nefariam crudelitatem saturare potuit. Manifestum est in archetypo fuisse: *nullius . . . una et fors*: post una e litteram etiamtum agnoui h et π, t litteram solus Corbeiensis. Exemplis congestis uberius confirmare id quod supra dixi de *fors fortuna* uerbis una usurpatis apud antiquos scriptores non arbitror opus esse.

Superlatiuorum in *-umus* exeuntium quibus ante C. Iulium Caesarem utebantur uestigia etiamnunc reperiuntur in codicibus, rarius quidem in ceteris, septem fere locis in Corbeiensi. Veluti II 19, 29 *pessumas rationes semper fuisse intellegamus*, optimus h *pars summas*, επμ *per summas*, Bernensis et Corbeiensis denique recte *pessumas*. III 14, 24 *quam sedatissima et depressissima uoce uti conueniet*: ubi *sedatissima, depressissima* codices plerique, heμ *sedatis summa et depressis summa*, Corbeiensis solus *depressis suma sedatis suma*. IV 9, 13 *Si cum finitumis de finibus bellum gererent* Kayser: codices omnes *finitimis*, nisi quod h habet *finitum his*: Corbeiensis *finitumis*. Similiter IV 10, 15 *in finituma* recte π et Corbeiensis: h et μ corrupta, ceteri *in finitima*: IV 35, 47 π et Corbeiensis soli *optumas*, in Bernensi et Corbeiensi traditum est IV 53, 66 *deterrumis*¹.

I 6, 9 *Si causa turpitudinem habebit exordiri poterimus his rationibus: rem non hominem spectari oportere: non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab aduersariis et esse indigna aut nefaria.* Ita editiones omnes. At si contuleris quae Cicero de inu. I 17, 24 docet: 'Si causae turpitudine contrahit offensionem, aut pro eo homine in quo offenditur alium hominem, qui diligitur interponi oportet; aut pro re in qua offenditur aliam rem quae probatur: aut *pro re hominem aut pro homine rem*, ut ab eo, quod odit *ad id quod diligit auditoris animus traducatur.*' porro Quintiliani praeceptum IV 1, 44: 'Illud in uniuersum praeceperim, ut ab his quae laedunt, ad ea, quae prosunt, refugiamus. *Si causa laborabimus, persona subueniat: si persona causa*' — haec si consideraueris, facile concedes falsa esse ea quae uulgo feruntur *rem non hominem spectari debere, non placere nobis ipsis quae facta dicantur ab aduersariis et esse indigna et nefaria.* Nimirum utrumque et rem et hominem memorare debuit rhetor: neque potuit uno tenore defensor iudices hortari ut rem, non hominem spectarent, cum, quae facta esse dicerent aduersarii, sibi quoque indigna et

¹ Quom formam uetustioremem agnosco IV 49, 62: Iste qui tamquam coclea [abscondens] retentans sese tacitus quom domo (quo modo lacunosi, cum domo b) totus ut comedatur aufertur.

turpia ea uideri statim adiceret: quanto melius se haberet *hominem, non rem spectari debere*, quod refragatur cum sententiae prauitate, tum codicum lectionibus. Etenim codices meliores sed lacunosi *rem non hominem* (hπr et familia II Kayseri), nisi quod in μ m. 2 additum est *uel hominem non rem* in e m. 2 scriptum *hominem non rem aut rem non hominem*. Codices integri oc et optimus omnium b *rem non hominem, hominem non rem*: quam lectionem unice ueram esse quod ad sensum pertinet acute demonstrauit C. Hoffmann *de uerborum transpositionibus in Cornificio* p. 16. Tamen ita rhetor noster non scripsit: sed admodum breuiter: *rem, hominem spectari oportere: non placere nobis ipsae quae facta dicantur ab aduersariis* e. q. s.¹ Corbeiensis enim librarius archetypum glossis omissis hoc loco ni fallor accurate descripsit: praebet codex: *rem. hominem spectari oportere*. Recte commentator archetypi super *rem* adiecit *non hominem*, super *hominem* superscripsit *non rem*, quae una cum uerbis scriptoris descripta in codice b alterius ordinis exstant: grauissimum uero Corbeiensi codici cum b quo nitimur intercedere consensum uel inde elucet, quod in utroque ἀσυνδέτως uerba scriptoris recte leguntur.

II 1, 2 *Postea admonuimus esse causas conpluris, in quas plures constitutiones aut partes constitutionum adcommoarentur*. Ita recte Scaligerum secuti editores omnes post Kayserum. At codices plerique *in quibus*, soli h et e m. 1 *in qua*. Scaligeri emendationem confirmat Corbeiensis liber, in quo legimus *in quas* e. q. s. Archetypus uidelicet habuit *in quas* superscripto *quibus*, unde praua illa lectio *in quibus* orta. Eodem modo IV 12, 17 *solocismus est quom in uerbis pluribus consequens uerbum superiori non accommodatur* codices plerique et Kayer in editione maiore: atqui codices optimi hπr et Corbeiensis *superius*: itaque recte idem Kayser in editione minore scripsit *in superius*.

III 22, 35 *Nam si quas res in uita uidemus paruas, usitatas cotidianas, meminisse non solemus, propterea quod nulla non noua nec admirabili re conmouetur animus*. Ita ex Scaligeri coniectura Kayser scripsit: nam codices alii alia: h *nulla noua nec admirabili re*, p' et π *nulla noua nec admirabili*, μ *nulla noua re nec admirabili* secunda familia *nulla re noua nec admirabili*: tertia familia aperte interpolata praebet. *Non uoculam ante noua exci-*

¹ De asyndetis quae reperiuntur apud Cornificium conf. Langen philologi uol. XXXVI p. 591.

disse quae ex sententiae natura flagitaretur recte cognouit Scaliger: et re uera Corbeiensis: *propterea quod nulla non noua re nec admirabili*. Apparet in archetypo non primum omissum, deinde inter *nulla* et *noua* insertum fuisse: nam Corbeiensis quoque primum omisit, deinde m. 1 inseruit.

IV 4, 6 *si uos parua res sicuti magna delectabit*. Ita Kayser et reliqui Scaligerum secuti: nam codices deteriores *delectat*, praestantiores *delectauit*, solus Corbeiensis illud Scaligeri: *delectabit*.

IV 6, 9 *isti credunt eos qui haec uelint discere, alia ratione docere se posse commodius*. Ita Kayser in editione maiore scripsit ex Scaligeri emendatione: nam codices omnes praeter e, in quo est *docere*, habent *doceri*. Quod cum consideraret, in editione minore abiecto Scaligeri inuento istud *doceri* repetiit: idem fecit editor Teubnerianus. At Scaligeri emendationem confirmat Corbeiensis cum exhibeat *docere se*.

IV 37, 49 *haec res, sicut in amicitia, item in dicendo, si loco fit, maxime facit, ut et illi qui audient, a culpa absint, et nos qui dicimus tam ipsorum quam ueritatis amici uideamur*. Haec talia in editionibus feruntur ex Scaligeri coniectura maximam partem ita constituta: nam codices admodum corrupta: $\eta\pi\pi\mu$ et nos qui dicimus tamen et ipsorum ueritatis esse uideatur: familia secunda, ut solet, praebet librarii cuiusdam ineptissimam coniecturam, quam memorare nolumus, tertia familia (b) haec: et nos qui dicimus amici ipsorum et ueritatis esse uideamur. Scaligeri emendationi proxime accedit codex e, in quo est: et nos qui dicimus tam et ipsorum quam et ueritatis amici uideamur. Codicis Corbeiensis opera propius ad uerba scriptoris accedemus, in quo haec leguntur: et nos qui dicimus tam et ipsorum quam ueritatis esse uideamur amici: quae ad scripturam archetypi proxime accedere cum uerborum elegantia tum eis quas et e primae et b tertiae classis codices exhibent scripturis efficitur.

IV 39, 51 *uno denique atque eodem tempore domus hostili flagrat incendio et quos natura e. q. s.* Codices $\eta\pi\pi\mu$ *flagrabat*, reliqui *flagrabit*. Lambinus restituit *flagrat*, quem secutus est Kayser: Lambini coniecturam confirmat Corbeiensis, qui praebet *flagrat*.

IV 39, 51 *aliorum domum atque omnem familiam perfringens, funditus labefactans*: Ita codices optimi $\eta\pi\pi\mu$, altera classis *funditusque*, ex librarii coniectura, ut solet, tertia quoque classis interpolatam lectionem exhibet *republicam funditus*. Corbeiensis

codicis scripturam non habebis quod reicias, in quo legatur *aliorum domum atque omnem familiam perfringens funditus et labefactans*¹.

IV 52, 65 *ut in extremo vitae tempore et sententias eloqueris neque ei, quem uides dominari, uis supplicare?* Ita codices optimi $\eta\epsilon\mu\mu$, deteriores *at in extremo*: optimorum codicum scripturam in editione maiore seruauit Kayser, in minore Halmii et Baiteri emendationem, qui proposuerunt *tu in extremo* e. q. s. recepit. Recte. Nam Corbeiensis solus hanc scripturam seruauit praebens: *Tu in extremo vitae tempore et sententias eloqueris* e. q. s.

IV 52, 65 *quin desinis, inquit, uxor loqui, quae me digna non sunt?* Ita Kayser scripsit ex Oudendorpii emendatione in utraque editione: codices primae familiae *quid desinis*, ceteri *cur non desinis*. Oudendorpii coniecturam aspernatus editor Teubnerianus scripsit *quid non desinis*, admodum infeliciter, obscurissimo quodam codice Lugdunensi fretus. Solus Corbeiensis recte uerba scriptoris ab Oudendorpio restituta seruauit, in quo exstet: *Quin desinis* e. q. s.

IV 48, 61 *sed inuentio similitium facilis erit, si quis sibi omnes res animantis et inanimas, mutas et eloquentes, feras et mansuetas . . . ponere ante oculos poterit.* Omnes codices Kayseri *eloquentes*: editiones ante Kayserum *loquentes*, quod denuo restituit e codice Monasteriensi saeculi XIII Petrus Langen philologi uolumine XXXVII p. 413 suo iure, opinor. Etiam Corbeiensis *mutas et loquentes*.

Grauiissimi uero illi loci sunt, ubi Corbeiensis cum h Herbitolano solo consentiat: supra dixi I 12, 21 recte in utroque traditum esse *sitellam*, in reliquis omnibus praeter e *cistellam*. Cautissime progrediendum est, si duae scripturae in codicibus traditae exstabunt, quarum alteram sane scriptoris, commentatoris alteram esse appareat: quibus locis ea nimirum lege utemur, ut, quae difficiliora ad intellegendum sint, ea potissimum consideremus, quae plana et trita, suspecta habeamus. Veluti IV 6, 9 *si Triptolemus, quom hominibus semen largiretur, ipse ab aliis id hominibus mutuaretur* codices omnes *largiretur* praeter h et Bernensem, qui praebent *gigneretur*, Corbeiensis *gigneret*. Quod ueri simillimum est eiecto interpretamento isto *largiretur* esse restituendum. Etenim uox illa *largiretur* ita plana et usitata, ut nullo modo ita explicari debuerit; neque corruptelae causa facile in-

¹ Aliter Langen iudicauit philologi uolumine XXXVI p. 591.

tellegitur. Immo fuit in archetypo *gigneret* superscripto *largiretur*, unde codicum discrepantia orta est. Conf. IV 3, 5 *gignis nouas nobis praeceptiones*.

III 4, 7 *Quom huiusmodi diuisio sit locorum in consultatione, breuiter aperienda est totius tractatio causae*. Ita editiones omnes et codices plerique. Tamen h optimus *aperiendae sit*, id est *aperienda erit*, quod est in Corbeiensi, quoniam r litterae forma quaedam in libris Merouingii aevi usitata ita s litterae similis est, ut ab ea internosci plane nequeat.

IV 32, 43 *nec tamen facile ex Italia materis Transalpina depulsa est* recte scribitur. Tamen Scaliger proposuit pro eo quod in plerisque codicibus legitur *tam*: e *tam ei*, h *tām*, Corbeiensis *tamen* m. 1, m. 2 e et n litteris puncta subdita.

Perraro ea quae ex sententiae condicione flagitatur forma *ii, iis, iidem, iisdem* in codicibus seruata est, quae plerumque a librariis non intellecta abierit in *hi his hisdem*. Velut IV 4, 7 *contra ea quae ab iis dicuntur, qui dicunt alienis se exemplis uti oportere, satis est dictum: nunc quae separatim e. q. s.* Kayser ab *iis* scripsit: at codices optimi *ab his*, solus b *ab eis*, solus Corbeiensis *ab iis*, h *super i* superscripta.

II 27, 44 *Item uitiosum est artem aut scientiam aut studium quodpiam uituperare propter eorum uitia, qui sunt in eo studio*. Ita Kayser scripsit in editione maiore: in minore editione cum Ernestiana maluit scribi *qui in eo studio sunt* idemque recepit editor Teubnerianus. Codex h: *qui ne eo studio siñ* (*qui* m. 2 additum), p mendosissime *qui ne studio non*, π *qui sunt ne eo studio*, reliqui codices ordinis praestantioris: *qui studiosi sunt*. Corruptelas codicum unde factae sint intellegimus, si, quae in Corbeiensi leguntur, consideramus: nimirum habet ille quidem *qui in eo studiosi ð*, similia plane atque h optimus *qui ne eo studio siñ*. Corbeiensis hoc loco uerum solus seruauit: *qui in eo studiosi sunt*.

I 12, 22 ab omnibus editoribus post Kayserum ita legitur: *Haec partitio legitimae constitutionis his de causis raro uenit in iudicium, quod in priuata actione praetoriae exceptiones sunt et causa cadit, qui egit nisi habuit actionem, et in publicis quaestionibus cauetur Regibus, ut ante, si reo commodum sit, iudicium de accusatore fiat, utrum illi liceat accusare necne*. Ita editum est ex auctoritate codicum h̄p̄te, in quibus est: *causa cadit quia egit nisi habuit actionem*, ceteri omnes *causa cadit qui non quemadmodum oportet egerit*. Deinde codex μ *causa cadit qui non quem-*

admodum oportet egerit qui aegit nisi habuit actionem. Cicero de inu. II 19, 57 cum dicat: *Nam et praetoris exceptionibus multae excluduntur actiones et ita ius civile habemus constitutum ut causa cadat is, qui non quemadmodum oportet egerit,* Kayser ita sibi uisus est rem expedisse, ut uerba *qui non — egerit* ex Cicerone in Cornificii librum ab interpolatore inlata esse iudicaret: quo facto genuinam scripturam esse eiectam. Tamen res aliter se habet. Nam quae in archetypo omnibus codicibus classis I et II communi exstiterint, ea optime adsequemur si ea quae codex Corbeiensis exhibet, legerimus: in quo haec reperiuntur: *et causae caedit qui non quemadmodum oportet egerit*¹ signo adposito, quod in margine sinistra pari signo adiecto respiciat hoc scholion partim notis partim litteris conscriptum: *quidam codices¹ habent: qui egit nisi habuit actionem.* Quod bene potest scribi secundum illud quod in secundo ubi scriptum habemus: *ex translatione criminis. re (?) enim Orestes interemit reginam, cum non haberet actionem.* Unde efficitur in margine codicis archetypi uariam lectionem illam adpositam fuisse aliunde petitam. Reliqua quae librarius Corbeiensis adscripsit, stultitiae plena sunt: nam uerba *qui egit nisi habuit actionem* ita interpretatur, quasi si quis Orestem matricidii insimulet ideo, quod ea egisset, quae agi a se non debebant sed ab aliis: conf. I 16, 26 *Cum usus fuerit Orestes ratione hoc pacto: Iure occidi, illa enim patrem meum occiderat, utetur accusator firmamento hoc modo: At non abs te occidi neque indemnata poenas pendere oportebit.* Tamen uerba *qui egit nisi habuit actionem* si accurate consideraueris, facile intelleges ea imposuisse editoribus colore quodam quasi genuinae iurisprudentiae, sed esse ea hoc loco uix apta. Ne bene quidem Latine mihi uidetur dictum esse: *causa cadit qui egit, nisi habuit actionem,* quasi is qui habeat actionem, nullo pacto causa cadere possit: etenim *nisi* uocabulum minus bene hoc loco positum est. Deinde raro accidit, ut in priuata actione ageret qui actionem non haberet: multo saepius in publicis quaestionibus usu uenire potuit, quod ne fieret, diuinatione cauebatur. Tum hoc loco: *in priuata actione causa cadit qui egit nisi habuit actionem* parum esse uidetur: nam in translationibus non solum de accusatore mutando quaeritur, sed uel maxime *num alio tempore, num alia lege, num alio quaerente* (ad Her. II 12, 18 de or. I 167). Itaque illam scripturam: *quia*

¹ Similiter in Martiani Capellae codice Bambergensi legitur: *hoc in quibusdam codicibus non habetur* ad p. 24, 13 Eyssenh. cf. p. XI.

egit nisi habuit actionem scholion esse iudicabimus, quod in codicibus hept pro genuinis legitur, contra reliqui codices classis primae recte uerba scriptoris seruauerunt; quae talia in archetypo omnibus nostris libris communi fuisse eo euincitur, quod etiam integri codices (b) illam solam scripturam praebent omnes.

I 8, 12 *Alterum genus narrationis est, quod intercurrit nonnumquam fidei aut criminationis aut transitionis aut alicuius adparationis causa.* Ita recte codices optimi et editiones recentissimae. In codicibus secundae familiae Kayseri et aliis nonnullis deterioris notae scriptum est *adparationis uel* (siue *aut*) *laudationis causa*: de quo Orellius: *hoc membrum ponendum fuisset uel ante u.* aut *criminationis uel post eadem, quocirca seclusimus.* Recte iudicauit, sed in argumento prolato errauit. Nam is qui istud *uel laudationis* interpretamentum hoc loco ineptum adscripsit, eodem loco — id est post *criminationis* — quo Orellius flagitauit, hoc adiectum esse uoluit: nam quae in archetypo fuerint, ea cognoscimus ex Corbeiensi ubi legitur: *Alterum genus est narrationis, quod inter currit nonnumquam fidei aut criminationis¹ aut transitionis aut alicuius adparationis causa*: ad *criminationis¹* nota adiecta est, quae legentem ad marginem relegat, ubi eadem nota adposita m. 2 additum est uel *laudationis*, unde ne eo quidem quo uoluit interpres loco codicibus nonnullis sese insinuauerit. Codicis autem archetypi, unde omnes I et II familiae libri descripti sunt, Corbeiensis solus ueram quasi effigiem seruauit: idem I 6, 10 *praeterea expectatione similitudine nouitate historia uersu¹ Aliter ac parati fuerimus nos esse dicturos¹ ab alicuius Interpellatione aut adrisione¹ nos non eodem e. q. s.,* sicut omnes codices primae et, si interpolationes eieceris, secundae classis: uerum ordinem uerborum III classi recte seruatum restituit signis transpositionis additis ad uerba *Aliter dicturos adrisione.*

I 9, 15 *Hic* (id est in dilucida narratione) *erit considerandum, ne quid perturbate ne quid noue dicamus, e. q. s.* Ita Kayser in editione utraque et editor Teubnerianus. Codices uero classis I *ne quid perturbate ne quid noui* classis II *ne quid perturbate ne quid contorte ne quid ambigue* classis III optimus b *ne quid perturbate ne quid contorte ne quid noue ne quid ambigue.* Apparet in archetypo uerba scriptoris explanationibus superscriptis abundasse: uidentur igitur est, ut genuina caute seligamus. Cicero quidem de inu. I 20, 29 *ne quid perturbate ne quid contorte*: itaque *perturbate* cum omnibus codicibus Cornificii traditum sit, seruetur necesse est, *contorte* autem illud quod est in codicibus II clas-

sis suspicio est e Ciceronis libro adlatum esse. Codices II classis *ne quid perturbate ne quid contorte ne quid ambigue*: I classis *ne quid perturbate ne quid noui*: III classis quattuor cola recepit omnia. Quid igitur praeferemus utrum *ne quid noui* an *ne quid ambigue*? Corbeiensis auxilio adiuti in uera scriptura agnoscenda errare uix possumus, in quo haec tradantur: *ne quid perturbate ne quid ambigui dicamus* nota :/ ad *ambigui* addita: eadem in margine nos ad se adlicit simul et ad uariam lectionem m. 2 additam *uel noui*. Patet istud interpretamentum natum esse ex uitiosa scriptura *ne quid ambigui*: patet porro hoc loco I classem codicum istud *uel noui* perperam in contextum recepisse, quod licet cum librariis III classis mutaueris in *noue* utique claudicabit, si quidem hoc loco neque uerborum nouorum aut inusitatorum usum neque rerum inauditarum narrationem uitandam esse apte monuerit scriptor.

II 4, 7 *Locus quaeritur, celebris an desertus... publicus an priuatus fuerit; cuiusmodi loci attingant: num † quidē pactus perspectus exauditus esse possit*. Ita fere archetypus lacunosus codicibus I et II familiae communis (A) haec uerba exhibuit: nam h *num quidem*, ερπμ *num quid est* k Corbeiensis familia II *numquid* tertiae familiae optimus b teste Orellio *num qui est passus*, quod coniecturam librarii iam in archetypi saeculi VI factam esse inde apparet, quod idem interpretamentum in Bernensi et in μ m. 2 additum reperitur. Itaque iam archetypus ille praebuit corrupta fere haec: *num quidē pactus perspectus exauditus esse possit*. Editores alii Scaligerum secuti *num quod est factum perspectum exauditum esse possit*: Langenius asyndeton recte uituperans philologi uol. XXXVI 592 proposuit *num quid perceptum perspectum exauditum esse possit*: alii cum b: *num qui est passus perspectus exauditus esse possit*. Vtraque lectio facile refelletur: illa codicum consensu, qui masculinas formas testantur, haec ideo quod non de homicidio solo neque de iniuriis hominibus inlatis agitur solis, sed de uariis criminibus ueluti de furtis neque eum qui est passus memorari conuenit, sed reum ipsum. Itaque duo illa uerba cum ad sensus pertineant uidendi et audiendi, tertium desideratur quo *tactus* significetur: iuris peritorum uerbum sollemne est capiendi, sicut in lege XII tabularum scriptum fuit *ni it, antestamino igitur em capito* Lucilius libro XVII: *si non it capito, inquit, cum et si caluitur endo ferte manum*. Dum meliora proferantur, scribendum duco: *Locus quaeritur, celebris an desertus*

... cuiusmodi loci attingant, num quis¹ captus, perspectus exauditus esse possit.

Largissima uerborum copia Cornificius in prooemio libri IV enarrat praecepta rhetorica domesticis exemplis confirmari oportere seque non alienis sed suis exemplis ad demonstrandas leges rhetoricae usurum esse magna uoce proclamat: attamen quae pollicitus est, minime soluit scriptor. Dudum cognitum est ea, quae IV 34, 45 legantur: *Cuius mater cotidianis nuptiis delectetur* Demosthenis esse de cor. 129 ὡς ἡ μήτηρ τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις... χρωμένη e. q. s. Sed passim scriptor Graecorum thesauros expilauit uerbis modo additis modo leniter mutatis: uno exemplo quo nondum res cognita sit, rationem exemplorum demonstrabo. IV 49, 62: *Imago est formae cum forma cum quadam similitudine conlatio... ut in odium adducat hoc modo: iste qui cottidie per forum medium tamquam iubatus draco serpit dentibus aduncis aspectu uenenato spiritu rabido, circuminspectans huc et illuc, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus adflare, ore attingere dentibus insecare, lingua adspergere possit.* Attingere² scripsi a tingendo: nam illud attingere a tangendo nullo pacto ferri potest, attingere a tingendo licet apud solum Vegetium (art. uet. I 11, 7) inueniatur, bene explicari. Sed Cornificius uerba tantum addidit, paullo uehementius inflauit, exemplum e Demosthene petatum est in Aristogit. p. 786 ἀλλὰ πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς ὥσπερ ἔχις ἢ σκορπίος ἠρκῶς τὸ κέντρον ἄττων δέυρο κᾶκεῖσε, σκοπῶν τίνι συμφορὰν ἢ βλασφημίαν ἢ κακόν τι προστριψάμενος καὶ καταστήσας εἰς φόβον ἀργύριον εἰσπράζεται. Cornificium hunc Demosthenis locum apud auctorem suum inuenisse exemplo propositum apparet uel inde, quod idem locus in disputatione de imaginibus ab Aristide (Rh. G. Walzii IX 385) et a Minuciano (ibidem p. 604) adhibetur ita ut locus inclutus in rhetorum scholis uideatur fuisse. Istam uero exemplorum rationem Cornificii illi debent considerare, qui tam creduli ea quae I 9, 16 leguntur: *nisi quae de insinuationibus noua excogitauimus, quod eas soli praeter ceteros in tria tempora diuisimus* amplectuntur, ut inde concludant Ciceronis rhetoricos de Cornificii arte descriptos esse (Cic. de inu. I 17, 23)³.

¹ Librarius compendia quis et quidem uocabulorum uidetur confudisse.

² Attingere iam Weidnerum uideo ante me coniecisse.

³ Hominem Romanum qui rhetor minime fuerit, tale quid nouasse aut inuenisse minime crediderim: sed τέχνην illam Graecam quam uertit Cornificius tempore priorem fuisse ea quam Cicero in libris de inuentione adhibuerit recte inde colligas. Ciceronem post Cornificium scrip-

IV 54, 68 *Modo consul quondam tribunus: is deinde primus erat ciuitatis. Tum proficiscitur in Asiam, deinde hostis est dictus, post imperator et populorum factus est consul.* Ita fere codices: in per qui praebeant *quondam is (iste e) illud tr.* excidit. Nam qui inde sibi uisi sunt eruisse *modo consul quotannis, deinde primus erat ciuitatis* Henricus Jordan¹ et Wardius Fowler², eos uel inde refutaueris, quod *modo* et *deinde* uocabula in tali enuntiato nullo pacto intellegi poterunt. Codex denique h hoc loco aperte corruptissimus omnium, in quo est *quod his dicit.* Omnes uero uiri docti in ea re consenserunt, aut Sullam aut Marium hoc loco significari, quorum uterque consul, uterque primus ciuitatis fuerit, uterque in Asiam profectus hostis dictus imperator appellatus sit. Itaque unum habes tamquam fundamentum interpretationis illud *tribunus* codicum, quod facilius excidere potuisse in ep̄ statui quam a librario quodam fingi: ergo de L. Sulla cogitari hoc loco nullo modo potest. Sed Marii tribunatus anno 635/119 gestus lege illa populari de suffragiis ferendis (Plut. Mar. 4 Valer. Max. VI 9, 14 Cic. de legg. III 17, 38) inclutus fuit: aptissime uero in hac orationis funebris particula tribunatum Marii memorauit, quia hoc ipso magistratu ille primum in ora hominum peruenit. Codex archetypus Cornificii sub finem operis difficillimus uidetur fuisse ad legendum: nam tria illa extrema capita mendis scatent. Itaque duobus locis in illa sententia uitiosa est scriptura: illud *is* fragmentum esse uidetur adiectiui, quo laus consulis illius significetur, uerba *et populorum* aperte mendosa. Patet, opinor, in enuntiato *deinde hostis est factus, post imperator et . . . factus est consul* haec ipsa uerba magnopere languere, cum iam in principio sententiae consulatus Marii memoretur, nisi accedat aliquid, quo iste Marii consulatus post exsilium quem nactus sit, uehementer augeatur et ut res noua et inaudita grandi uerborum sonitu prolata claudat periodum. Itaque ea quae tradita sunt ita interpreto: *Modo consul, quondam tribunus is, deinde primus erat ciuitatis. Tum proficiscitur in Asiam, deinde hostis est dictus, post imperator et a populo Romano VII factus est consul.* Nempe in archetypo scriptum fuisse uidetur ETAPOPVLORVII, unde codices omnes *et populorum*, Monasteriensis Langenii (philologi uol. XXXVI p. 480) *et apulorum*, dubito an uestigio eius quam restitui lectionis seruato. Adiectiuum quod scriptum fuit post illud *tribunus*, quo Marius laudetur, difficillimum sane erit ad inueniendum quia multa fingi possunt. De C. Marii fortuna conf. Val. Max. VI 9 14: *ille Marius . . . cuius septem in fastis consulatus leguntur: cui post exsilium consulem creari, proscriptoque facere proscriptionem contigit.*

Berolini.

Fridericus Marx.

sisse tum concedam, si quis demonstrauerit quo casu factum sit ut apud Ciceronem neque Marsici neque Mariani belli ulla fiat mentio. Sed de his alio loco.

¹ Hermae uol. VI p. 75.² Journal of Philology X 197.

Berichtigung.

In dem Aufsatz über Cornificius S. 376 f. sind mehrere Verbesserungen durch ein Versehen Scaliger zugeschrieben, welche vielmehr Kayser gehören.

F. M.

Verantwortlicher Redacteur: Hermann Rau in Bonn.

Universitäts-Buchdruckerei von Carl Georgi in Bonn.

(5. Oktober 1888)